Quelle: https://manuscripta.at/?ID=126
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Litoribus lustrat uacuas pompeius arenas.
Quem postquam proprius famule uidere fideles.
Non ultra gemitus tacitos incessere fata
Permisere sibi. frustraque attollere terra
Semianimem conantur heram. quam pectore magnus
Ambit. et astrictos refouet complexibus artus.
Ceperat in summum reuocato sanguine corpus
Pompeii sentire manus. mestamque mariti
Posse pati faciem. prohibet succumbere fatis
Magnus. et immodicos castigat uoce dolores.
Nobile cur robur fortune uulnere primo
Femina tantorum titulis insignis auorum
Frangis. hec aditum mansure in secula fame.
Laudis in hoc sexu non legum iura nec arma
Unica materia est coniunx miseris. erige mentem.
Et tua cum fatis pietas decertet. et ipsum
Quod sum uictus ama. nec sum tibi gloria maior.
A me quod fasces et quod pia turba senatus
Tantaque discessit regum manus. incipe magnum
Sola sequi. deformis adhuc uiuente marito
Summus et augeri uetitus dolor. ultima debet
Esse fides lugere uirum. tu nulla tulisti
Bello damna meo. uiuit post prelia magnus.
Set fortuna perit. quod defles illud amasti.
Uocibus his correpta uiri uix egra leuauit
Membra solo. tales gemitu rumpente querelas.
Ouit in thalamis inuisi cesaris issem
Infelix coniux et nulli iocunda leta marito.
Bis nocui mundo. me pronuba dixit erinis.
Crassorumque umbre. deuotaque manibus illis
Assirios in castra tuli ciuilia casus.
Precipitesque dedi populos. euentosque fugaui

Vba pom. victi ad Cornelia

Vba Cor.